

rum literæ , qui in Istris cum triremibus , quas appellant nothas , tribus , legitimis duabus relictus fuerat , ut ad Padi ostia contenderet , cumque Marco Antonio Contareno , qui triremem suam naviolaque non pauca incolumia conservarat , se conjungeret . Senatu postea eodem die coacto , ad classem redintegrandam multoque ampliorem instituendam , latum , ut in Creta triremes octo , Corcyrae duæ , in Dalmatis sex , in urbe quatuordecim confestim armarentur , atque ex his duarum remiges postridie , aliarum duarum perendie conscriberentur .

Angelus inter hæc ad urbem rediit , clademque illam non tam vere ac explorate , quam ut ipsi minus dedecoris afferebat , Patribus exposuit : quem tamen ejus sermonem plerique ex earum , quæ perierant , triremium præfectis , ad urbem & ipsi redeuntes audacter refellerunt . probraque omnia in illum jaci copta : nihil in eo consilii , nihil prudentiæ , nihil omnino providentiæ : crudelitatis , avaritiæ , arrogantiæ plurimum semper fuisse : triremes ponte implicari minime omnium debuisse : si paullum supra eum , in quo erat , locum ripæ aggerem dejecisset , flumen ipsum , quod tam alte creverat , suamet iluvione & munitionem & classem tutam ab hostibus pungendo temporis redditurum , regionemque illam pulcherrimam & fertilissimam longe lateque vastaturum & fœdatum fuisse . quæ nam autem aptior atque facilior reipublicæ morem gerendi occasio dari ei a fortuna potuisset , quam quod est illi ea fluminis tam vasti magnitudine exuberantiaque subministratum ? ita illum , quæ e republica non erant , effecisse : quæ usui & dignitati magnopere fuissent , quæ securitatem classi attulissent , quæ hostium cogitationes & conatus omnes frustravissent , prætermissee : unum modo magna semper diligentia curavisse , ut cymbas præda onustas singulis diebus domum mitteret . His cum vocibus pene omnium , qui in ea classe fuerant , & cladi superfuerant , Angelus palam accusatur , Senatus frequens rogationem jussit , uti de ea re triumviri ex advocatis reipublicæ quærerent : quod repe-

*Angelus
Trivisanus
accusatur
rei male
gestæ.*